



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXXII. Ioannis Papae VIII. Ad Omnes Archiepiscopos, Episcopos, Et Comites Italiae. Hortatur dent operam, vt Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

fancimus, vt quicumque huic nostræ auctoritati, & apostolica deliberationi contra stare, aut resistere, aut non obedire, vel, quod absit, electionem ipsius ecclesiæ aliquando peruertere, aut infringere, quam, Deo propitio iuste est affecuta, tentauerit; gladio vtique canonicæ disciplinæ noverit se ferendum, atque omnipotentis Dei vindictam non euasurum, si digna celeriter non fuerit satisfactione sanatus. Confirmamus denique nostri apostolatus auctoritate, omnes res eiusdem ecclesiæ pacifice, ac quiete perpetualiter possidere. Et quicumque easdem inuadere ac dissipare ausus fuerit, postquam a proprio episcopo canonicè admonitus fuerit, si secundum diuinas & humanas leges non emendauerit, sub anathemate sit damnatus.

EPISTOLA CCLXXXII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS,
ET COMITES ITALIÆ.

Hortatur dent operam, vt Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum promittit, vt nihil contra ipsum Carolum cum Bosone moliri possit; & si quid tentauerit, se eandem remissurum pollicetur.

*Omnibus reuerendissimis, & sanctissimis archiepiscopis & episcopis
huius Italici regni, & omnibus gloriosis comitibus
filii nostri imperatoris.*

Si ea quæ saluti & vtilitati proximorum necessaria sunt, secundum sollicitudinem & curam gregis dominici nobis ad bene regendum commissi, diuinæ pietatis memores agere studemus; omnipotentem Deum in his, quibus & ipsi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, & in bonis omnibus procul dubio adiutorem. Igitur sanctitatem vestram nosse volumus quoniam missis, & apostolatus nostri literis, dilecti ac spiritalis filii nostri Caroli gloriosissimi imperatoris clementiam obnixe rogauimus, vt Angelbergam filiam nostram, quam diuæ memoriæ Ludouicus rex pater imperatoris, & Ludouicus imperator vir eius nobis Veronæ commendauerunt, ac postmodum ipsa se sancto Petro tradidit, &
de

de ipsius altaris confessione tuendam recepimus, de loco in quo nunc esse constat, pro amore Iesu Christi Domini nostri, & pro sanctorum apostolorum Petri ac Pauli reuerentia, nostraque paterna dilectione presentialiter reduci, & ad nos eam dirigere iubeat. Vnde vos fratres & comministros nostros pio mentis conuenimus atque hortamur affectu, quatenus in huius feminae reuersione, vel salute nobiscum cooperari, pariterque desudare studeatis; ut vestro consilio, vestroque instanti hortatu, ipse Augustus nostrae petitionis effectum more parentum suorum libenti perficiat voluntate. Nam sicut illud regnum, in quo nunc illa sub custodia manet, eius est; ita & istud: & sicut ibi custoditur, ne aliquod solatium, vel consilium dare, face-reque possit Bosoni: ita & nos eam in tali loco habitare faciemus, quo nihil aduersi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad huius regni, & imperii perturbationem. Et si contra eius ac nostram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognouerimus; illico ad imperialem remitemus presentiam, nec nostro erit amplius adiuta consilio. Quod nimirum, ut nobis sine omni dubitatione credatur, vnum ex his legatis nostris venerabilibus episcopis, quos pro ea imperatori direximus satisfaciendo, repromittere iussimus ita nos esse incunctanter facturos. Neque enim, sicut cum coepiscopis, & primatibus eius promissum est, nullum temporale adiutorium & consilium iam fato se fore praebituram Bosoni: & quod, sicut praediximus, diligentissime custodita, non poterit de his omnibus quidquam agere. Idcirco per Dominum vos adiuramus, ut toto conamine in hoc opere nobiscum pro amore Dei desudare, eique manum porrigere procuretis, ut & nos in vestris proficuis utilitatibus & necessitatibus esse prompti possimus: & cui manum porrigere volueritis, vobiscum omnimodis porrigamus, dignasque vestrae Deo dilectae sanctitati pro vestro labore, atque deuotione gratias habere valeamus.